

non tamen præjudicium inferre valet juri publico, ut delicta debita punitione præcludantur. Et licet in hac specie offensus non accusasset ad recompensam, sed ad vindictam, æqualiter cum fiscali concurrendo, per abolitionem nullum fiscale præjudicium inferre potuit, quando sine eo iudicium institutum habebat, & sine eo prosequi poterat, ut superius probatum est.

17 Nec relevat si dicas de jure nostro cautum reperiri, quod fiscalis non admittatur, in iudicio ubi pars pro suo interesse litem prosequitur. Text. in l. 3. & 6. tit. 13. & in leg. 18. tit. 7. lib. 2. recopil. ut tradit Joan. Garcia, de nobilit. gloss. 3. num. 17. Quia ex dictis iuribus, similis decisio non habetur: nam in dict. l. 18. expressè jubetur iudicibus, quod injungere causas faciant fiscali, ne ex defectu partis indefensæ remaneant, in d. l. 3. jubetur quod fiscalis absque delatore certo, accusare non possit, nisi inquisitio à Principe fieri jubeatur, in d. leg. 6. quod fiscales prosequantur causas appellationum, quæ ab inferioribus interponuntur, sumendo nomen, id est, vices inquirentis: ob quod rectissime in omni causa admittendum fiscalem docent Joan. Gutierrez, lib. 3. pract. q. 21. num. 17. Don Franc. Alfaro, de offic. Fiscal. gloss. 17. num. 4. cum seqq. Aviles, in cap. Prætor. cap. 3. verb. Camera, Salgado de Regia provell. part. 2. cap. 7. num. 25. & Larrea, d. allegat. 1. num. 9. Cum autem visitationis secreta inquisitio ab ipso Principe fieri jubeatur, etiamsi delator deficeret, causa à fiscali prosequenda erat, ut expressè dicitur, in dict. lege 3. ad fin.

19 Multo minus ob stare poterit stylus iudicium, circa modum procedendi, inquisitionem suspendendo, si constat aliquem offensum esse ex delicto cui competit jus accusandi, ut is requiratur, an accusare velit, secundum doctrinam glossæ in cap. presbyter 12. q. 4. quam sequuntur Aviles, in cap. 1. Prætor. verb. sel, num. 34. Anton. Gomez, d. c. 1. num. 17. Paz, in prax. tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 5. n. 1. Vela, de delict. p. 2. c. 3. n. 8. Covarr. var. lib. 1. cap. 11. in fin. Clar. in §. fin. q. 15. n. 5. Patin. in fragm. verb. inquisition. 343. Larrea, decis. Granat. 26. n. 6. (quæ notabilis & pulchra est, ad nostram questionem dirimendam.) Non inquam obstat similis praxis, quia omnes isti Do-

ctores tenent, quod si offensus accusare neglexerit, vel à prosecutione causæ desisterit, Iudex ex officio procedere debet, ut clarè habetur, in l. 2. C. de abolit. ibi: sed adversus nocentem reum inquisitione facta pana competens irrogetur. Idem probat Text. in l. accusante 13. ff. de publ. iudiciis, ubi Bartol. quem sequuntur Speculator, tit. de inquis. §. 1. vers. secundo si accusator. Ant. Gomez, d. c. 1. n. 10. & 49. vers. octavo procedit. & Don Joan. Vela, d. p. 2. c. 3. n. 45. Quare licet pars læsa decesserit, vel desistat, vel accusationem prosequi omittat, in puncto juris causam inquisitionis prosequendam certissimum est, & in praxi admittitur. Quod suadet Text. in l. 22. tit. 1. p. 7. ut probavi contr. 27. n. 4. quibus addendus Larrea d. decis. 26. per tot. Quia dum controversum in ea est, quod accusatore transigente pœna corporis afflictiva imponi non possit, nisi crimen insidiosum sit, clarè sequitur causam prosequendam esse usque ad impositionem pœnæ corporalis si insidiosum est crimen, levioris si non sit insidiosum. Licet verum sit quod talis injuria esse potest, vel ejus conditionis offensus, ut non expediat bono publico causam publicè discuti, ut aliquando vidi observari, actis secretæ inquisitionis laceratis, vel igne consumptis, ne memoria temeritatis permaneat. Præcipue, si tota defensio rei consistat, quando aliquis linguæ, vel calami vitio, atque impotentia, dum somno excogitata tacere nescit, libello vel carmine divulgat; durissimum enim foret garrulitati pœnam statuere capitis, ut eisdem ferè verbis dixit Ant. Marth. d. c. 2. num. 4. Et licet iste Doctor, nulla juris dispositione sententiam prudentissimam comprobet, comprobari clarè videtur verbis Modestini, in l. famosi 7. hoc tamen, ff. ad leg. Jul. majest. ibi: Nec lubricum lingua ad pœnam facile trahendum est: quantum enim temerarii pœna digni sunt, tamen ut insani illis parcendum est, vel saltem sumpto prætextu ab alia causa, correctione condigna hujusmodi temeritates refræandæ sunt, ne passim similia perpetrata videamus.

CONTRQ



CONTROVERSIA LXXVI.

De Preside Togato sordibus implicito, in distributione officiorum, & servitio personali Indorum, & attestaciones falsas cogente.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species narratur.
- 2 Nullitas allegata per reum ratione excessus in procedendo.
- 3 Delatores testium locum haberi non possunt. Excedens fines mandati, perperam agit. ibid.
- 4 Vana allegationes Advocatorum, audienda non sunt.
- 5 Dicitio per omnes vias & modos, contenta in commissione, cuncta comprehendit, & nihil excludit. Delatores, in scriptis, delationes facere tenentur. ibid.
- 6 Magistratus tenentur Principi referre omnia, quæ in Provincia succedunt notatu digna. In syndacatu superioris Magistratus, examinandi sunt inferiores, & curiales. ibid.
- 7 Iudex semel delato juramento testi, vel delatori, tenetur in scriptis redigere omnia quæ dixerint.
- 8 Magistratus sordes probare difficile est. Probationes imperfecte junguntur, ad comprobationem sordium. ibid.
- 9 Leg. 6. tit. 9. lib. 3. recopilat. expenditur.
- 10 Penalitudo dispositio strictè interpretari debet.
- 11 Venditio officiorum sub d. l. 6. comprehensa est.
- 12 Dispositio d. l. 6. extensa est in Novo Orbe, ad probandas negotiationes, & quæstus Magistratum.
- 13 Venditio officiorum turpissimum genus negotiationis est.
- 14 Magistratus licite facere non possunt, quod ipsi Principi illicitum est, sicut venditio officiorum.
- 15 Magistratus solam tenentur de gestis per conjunctas personas ad pœnam civilem, nisi constet de scientia.

D.D. Laur. Matthæu, de Re Crim. P. II.

Probatio irregularis, d. leg. 6. non procedit de gestis per conjunctas personas. ibid.

16 Limita si constat de scientia, consensu, vel mandato. Ex pluralitate scientia presumitur. ibidem.

Ex publicitate. ibid.

17 Ex consanguinitate, affinitate, domesticitate, & controversatione.

Ex cohabitatione. ibid.

Scientia probatur conjecturis, & presumptionibus. ibid.

18 Probatio regularis resultat, si dicta testium singularium conspirant in unum.

Varietas in quantitate non obest, quia in minori parte conveniunt. ibid.

19 Testis inimicus non probat, neque in crimine difficultis probationis.

20 Inimicitia testis probanda est.

21 Inimicitia excludens testes, debet oriri ex odio privato, non publico.

22 Et debet esse gravis, vera, & non affectata.

23 Iudex facilis excluditur, quàm testis.

24 Iudicium recusatio vaga, si omnium fiat.

Inimicitia oppositio facta omnibus testibus, vaga, & vana. ibid.

25 Depositio in causa criminali, inimicitiam parit ad aliam, non ad ipsam.

26 Testes de universitate probant facta in corpore illius.

Canonici probant factum in Capitulo. ibid.

27 Domestici in domo.

28 Meretrices, & lenones in lupanari. Aleatores in alea. ibid.

29 Indi probant extorsiones factas Indis præcipue in municipiis.

30 Ubi veritas aliter haberi non potest testes non idonei admittuntur.

31 Violentia facta tabellionibus, solum per ipsos probari potest.

32 Magistratus Novi Orbis tenentur de receptis per uxorem, & filios.

33 Etiam si datum sit à litigatore præsentis, præterito, vel futuro. & numero 34.

35 Esculenta, & poculenta recipere prohibentur in Novo Orbe. & n. 36.

37 Repetundarum crimen an patretur per eum tantum, qui recipit dona in causa iudicati.

38 Repetundarum crimen probatur in his quæ sunt voluntarie jurisdictionis.

Y y 3 39 Con-

- 39 Concessio officiorum pertinet ad Justitiam distributivam.
Christus Dominus docuit premia gratis virtuti deberi. ibid.
- 40 Dignior eligendus, sub obligatione restituendi, & quid in Principe.
Lex Julia repetundarum continetur nominatio Judicis per sordes. ibid. & n. 41.
- 42 Idem est habere venalem Justitiam, ac venditores illius constituere.
- 43 Ementes officia, vendunt Justitiam, ut pretium recuperent, cum usura.
- 44 Vendens Justitiam sibi soli eripere curat, qui emit officium, sibi & vendenti.
- 45 Pena legis Juliae repetundarum extraordinaria est.
- 46 Sub ea comprehenditur privatio ab officio, & incapacitas obtinendi alia. & num. 47.
- 48 De jure Hispano, & Novi Orbis eadem pena imposta est.
Statutum penam imponens uni pro delicto alterius, an observandum. ibidem.
- Pena infamia specialiter à jure imponitur uni pro delicto alterius, in crimine repetundarum. ibid.
- Pena quadrupli est furti manifesti, quae irrogat infamiam. ibid.
- 49 Secunda pars culpe irrogata Praesidi.
- 50 Versimilitudo falsi, pro falso habetur.
- 51 Singularitas cumulativa plenam probationem constituit.
- 52 Protestationes clandestinae, & non injunctae parti, metum probant.
- 53 Protestatio contraria facto praevalet, si factum sit coactum.
- 54 Magistratus superiores metum inferunt solo aspectu.
- 55 Amanuensis officium incompatibile, cum officio Praesidis.
- 56 Sibi scribens in testamento, quae verè à testatore dicta sunt incidit in penam falsi.
- 57 Dispositio legis Corneliae de falsis, ad omnes scripturas, & tabulas extensa est.
- 58 Scribens minutam falsum, si mandata in actis publicis referre, falsum committit.
- 59 Falsitatis improbum genus est, sibi ali-quid dicere.
Dolus infertur ex occultatione veritatis

- immutatio ex attestazione eorum quae coram tabellionibus gesta non erant. ibid.
- 60 Falsitas nemini nociva non est punibilis, bene verò si sit aperta nocere.
- 61 Magistratus malo exemplo plus nocent, volendo peccare, quam non peccando profunt.
- 62 Testimonia eorum, quae in actis publicis continentur, abstrahere non est Praesidis, sed Tabellionis.
- 63 Tabelliones fidem praestare non valent de re non visa, vel ab eis non examinata.
- 64 Etiam si contenta vera esse apparuerit.
Pena falsi tenentur scribens, mandans, dictans, vel faciens fieri. ibid.
- 65 Procurans sibi subignari cartas vacuas ut in eis ponat quod voluerit, falsum committit.
- 66 De corpore delicti ante omnia constare debet.
- 67 Testimonia scripta manu Praesidis corpus delicti probant, quia est vitium visibile.
- 68 Testes deponentes de his quae per discursum percipiuntur, non possunt deponere assertivè.
Acta iudicii per publicum Tabellionem scribenda sunt. ibid.
- 69 Acta iudicii à Tabellione non esse scripta, difficultas probationis est.
- 70 Actus iudicii à Tabellione non scriptis, species falsitatis constituitur.
Nullitas examinis resultat, si non intervenit publica persona. ibid.
Auctoritas Judicis hanc nullitatem minime supplere potest. ibid.
- 71 Senatores quomodo, & quando Tabellionis munera supplent.
Tacita Senatus consulta, qui dicantur. ibid.
- 72 Haec raro observantur, sed mediante decreto Principis.
- 73 Culpa Praesidis resultat, ex nominatione Tabellionis, & exclusione ab actis, alio non adhibito.
- 74 Re per Judicatum decisam, iterum discussam non potest.
- 75 Sed hoc procedit in discussis, atque decisis, secus in aliis.
- 76 Judex ex causa utiliter committit Tabellioni examen testium, sed ipse absque illo, inutiliter examinat.

77 Pena

- 77 Pena falsi arbitraria est.
- 78 Sed in Magistratu includit privationem officii.
- 79 Infames ad honoribus arcendi.
- 80 Jacobi Gothofredi locus notatur.
- 81 Quasi falsum, quid sit.
- 82 Servitium personale Indorum ad usus privati negatur.
- 83 Magistratus Indos cogentes ad hoc servitium ab officio excluduntur.
- 84 Prohibitio specialis in Provincia hujus Praesidis recentis facta.
- 85 Ignorantia juris neminem excusat, & multo minus Togatos.
- 86 Decisio Senatus.
- 87 Ratio scribendi, hanc Controversiam pendente causa supplicationis.



- N v s ex Praesidibus Togatis Novi Orbis, qui Senatoris munus in illis Audienciis per plures annos obtinuerat, in iudicio publico syndicatus, de sordibus inquisitus fuit, variis de causis, & rationibus: quae nonaginta tribus capitulis continebantur, sed ad quatuor reduci possunt. Primum quia in expeditione rerum justitiae, & distributione officiorum administrationem justitiae directè habentium, muneribus sibi, uxori & filiis datis procedebat, venalia officia exhibendo. Secundum quod publicos Tabelliones, & Actuarios Camerales, cogebat fidem praestare de his quae non viderant, neque gesta coram eis erant. Tertium quod Indis ad dictis ad servitium personale privatis praestandum, salarium diminuerat, & privatis auxerat, ut haec differentia cederet in utilitatem uxoris. Quartum quod contra leges expressas, Indos cogebat praestare servitium personale, sibi & privatis, debito stipendio minime soluto.
- 2 Et ad clariorem hujus controversiae resolutionem suppono primum, quod nullas allegata contra acta per Judices syndicatores gesta (primus namque decessit inchoato iudicio, ob quod secundus missus fuit) nullam estimationem meretur. Quia nicitur eo fundamento, quod huic iudicio aniam praebuerunt epistolae à Senatoribus ad Regem nostrum scriptae, eum certiorando de pessimo modo procedendi Praesidis, quae corroborabantur relatione Protegis, sed quia in commissione dicebatur, quod iudex has

epistolas recognoscere faceret, & casu quo sinistram relationem fecisse resultaret, in scribentes procederet. Quia in ipsa recognitione Senatores plura deposuerunt, testes ad comprobationem uniuscujusque capitali nominando, nulliter fecisse dicebatur pro reo: quia tanquam delatores testium officium subire non poterant, sicque iudicem perperam acta fulminasse, cum in initio fines mandati non servasset, juxta Text. in cap. cum dilecta 22. de rescript. ibi: propter quod processum ipsorum contra nostri formam rescripti, ac juris ordinem, attentatum, irritum decernimus, & inanem. Idem probat. Text. in Cap. Rodulphus 35. eodem titulo, cap. prudentia 21. cap. venerabilis 37. de offic. delegat. Cum aliis adductis per Augustinum Barbofam, in collect. dict. cap. cum dilecta, num. 4. Gutierrez, lib. 3. pract. quest. 15. num. 15. Amat. variat. lib. 1. resolut. 11. num. 4. Verum istae sunt vanae allegationes Advocatorum, qui legem dicere intentant Magistratibus, postquam munus rectè simè adimpleverunt, propositione aliqua legali emissa, quae factò minime adaptatur. In commissione post verba praedicta dicitur: Ut per omnes vias & modos procederet ad inquisitionem gestorum per Praesidem, ibi: *Haveis que reconoscan las firmas de la dicha carta, los Oidores de quien parece estar firmadas, y en caso que se haya hecho sinestra relacion por ella obrareis, y procederis contra ellos por todo rigor conforme a derecho, y por todas las vias y maneras, que mejor, mas cumplidamente podais, haveis averiguacion de los procedimientos del dicho Presidente.* Quibus verbis non datur forma certa procedendi, ut in illis iuribus dicitur, sed arbitrium amplissimum tribuitur Judici syndicatori: nam dictio *por todas las vias y maneras*, id est per omnes, cuncta comprehendit, & nihil excludit, Text. in leg. Julianus, leg. testatorem in princip. ff. de legat. 3. cum pluribus adductis per Barbof. dict. usufrequent. 241. num. 1. & 21. Neque id infirmari potest ex eo, quod Senatores delatorum vires sustinere videbantur, quia etiam concedamus delatorum loco habendos, juxta Textum, in leg. 3. titulo 13. lib. 2. recopilat. Eorum relationes in scriptis, mediante Actuario publico, recipiendae erant. Et cum omnes Magistratus tam Indiarum, quam Hispaniae

Y y 4. nia

nia teneantur Principi referre quicquid notatu, vel scitu dignum evenerit in Provincia quam administrant, ut docet Dominus Solorzano, *de jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. fin. num. 80.* & ad hoc adstringantur vi juramenti ab eis præstiti, quod clausula speciali continetur, non remanent inhabiles, sed necessitate officii ducti, munus adimpleverunt, & recipi possunt, ut tradit Farinac. *questione 60. numero 75.* præcipue quando ex causa lucrum non sperant, Caball. *cas. 126. num. 3. & 4.* Ulterius, quia in inquisitionibus faciendis contra Magistratus superiores, examinari debent Senatores, Curiales, & cæteri qui in expeditione negotiorum intervenire solent; ut respectu Syndicatus Prætorum de Decurionibus civitatum tradit Bobadilla, *lib. 5. polit. cap. 1. n. 68.*

7 An autem integræ fidei remaneant, necne, non est præsentis inspectionis, de quo Caball. *dict. cas. 126.* cum aliis per me adductis, *tom. 2. de regimin. Valent. cap. 8. §. 8. num. 229. cum sequent.* Quia hic solum ostendere oportet, non vitari iudicium ratione examinis Senatorum. Quia imò ipsos examinare tenebatur, ad recognitionem epistolæ, & semel delato juramento, in scriptis redigi mandare Judex tenetur, quicquid dixerit sive ad offensam, sive ad defensionem pertineat, ut docent Farinac. *questione 74. num. 31. Guazzin. defens. 14. cap. 2. num. 4.*

8 Suppono secundò quod ad probandas sordes cujusvis Magistratus, cum sit res difficilis probationis, quia semper in occulto fit, ut tradit Dominus Larrea, *allegat. Fiscal. 48. num. 12. cum sequent.* Imperfectæ probationes junguntur, ut ex eis perfecta probatio fiat, *Text. in lege 6. titulo 9. lib. recopilat. de qua tractant diffusè nostri Doctores, signanter Larrea, dict. allegat. 48. & Ego plura, supra contrav. 61. ex num. 27.* Et licet iste Textus communiter interpretetur de iudice per sordes iudicantis, quod verba ipsius significant, *ibi: Porque los que dan algo a los jueces por los pleitos que ante ellos tratan: es una dispositio tanquam odiosa; & exorbitans restringenda venit ad casum specificum de quo agit, non autem extendenda est ad alios casus, etiam si eadem militet ratio, juxta Textum, in leg. 3. §. hac verba, ff. de negot. gest. cum aliis*

plurimis adductis per Giurbam, *confil. 73. num. 14. Farin. in fragment. part. 2. lit. E, num. 115. cum sequentibus, Barbof. axiom. 166. num. 7.* Sed nihilominus præterquam quòd venditio officiorum habentium directè justitiæ administrationem, sub hac dispositione comprehenditur, ut probatur, *infra num. 40.* in Novo Orbe jure speciali extensa reperitur hæc dispositio ad omnes contractus, negotiationes, emptiones, domorum constructiones, aut alios quosvis quæstus per Magistratus gestos, vel inuitos, cum subditis, Regio rescripto, *dicti 31. Augusti anni 1619.* cujus verba tradit Dominus Solorzano, *lib. 5. polit. cap. 11. §. La novena limitacion,* quæ relata reperiuntur, *supra dict. contrav. 61. numero 14.* Cum autem in hac causa non solum ageretur de negotiatione Præsidis inter subditos, sed de turpissima negotiatione, qualis est venalia officia administrationis justitiæ exhibere, cujus mala doctè pendunt Bobadilla, & ab eo relati, *lib. 1. politic. cap. 14. per totum.* Quod adhuc in Rege vel Principe superiorem non recognoscere illicitum est, ut pluribus probat Dominus Solorzano, *dicto tom. 2. lib. 5. cap. 1. num. 99. cum sequentibus, & lib. 5. politic. cap. 4. §. de manera, & lib. 6. cap. 13. per tot.* clarissimè sequitur probari posse per imperfectas probationes juxta *d. leg. 6.*

Suppono tertid, quod licet de gestis per conjunctas personas Magistratus solum teneatur ad pœnam civilem, & restitutionem, nisi appareat de mandato, consensu, vel scientia, ut probat Farinacius, *quest. 132. n. 67. & 72.* in qua specie, nempe quando munera non fuerunt recepta per Magistratum, sed per uxorem, vel aliam conjunctam personam, non est admittenda probatio irregularis, *justa dicta leg. 6. ut dixit Bobadilla, d. cap. 1. n. 226. ver. y es de advertir.* Sed si consensus, scientia vel mandatum Magistratus intervenit, tunc in solum tenetur, & probatio irregularis, *d. leg. 6. procedit; ut dixi, d. contrav. 61. ex num. 34. & num. 45. cum sequentibus.* In hac enim specie plures venditiones officiorum, per uxorem accepta penuria, comprobantur, & ex pluralitate actuum scientia præsumitur, Seraph. *decisione 306. num. 5. & 7. post decis. 332. numero 4.* Dominus Crespì, *observ.*

observat. 93. numero 29. ex publicitate Text. *in lege regula 9. §. sed facti, ff. de jur. vel facti ignor. ibi: quod enim, si omnes scient quod ipse ignorat? Dominus Crespì, dict. observat. 93. num. 28. Mascard. de probat. conclus. 1294. num. 2. Noguierol. allegat. 33. num. 11. & 12. Barbof. in cap. quinto 8. n. 1. de presum. & hanc famam ad notitiam Præsidis devenisse probatur ex eo quod ex actis resultabat quod ipse Præfcs interrogavit quendam de his quæ dicebantur de sua administratione, & repondisse, quod omnia venalia habebat. Item præsumitur scientia ratione consanguinitatis, affinitatis, domesticitatis, vel conversationis, *Text. in leg. octavi, C. unde cognat. l. tutela, C. de in integr. restit. l. si vicinis, C. de nupt. c. quanto de presumption l. consensu, §. super plagis, C. de rept. Mascard. d. conclus. 1294. num. 101. & ex cohabitatione Cravet. *confil. 26. num. 3. Mascard. d. conclus. 1294. num. 18. Barbof. in d. c. quanto, num. 2.* Quæ omnia in uxore & filiis verificabuntur. Et scientiam probari conjecturis docent pluribus Mascard. *d. concl. 1294. n. 1. Noguierol. allegat. 11. num. 132.* Sed hæc omnia redundant tum quia Magistratus Novi Orbis tenentur de muneribus, receptis per uxores & filios, & ut dicam *infra, n. 33.* Tum etiam quia aliquæ sordes comprobantur trium, & quatuor testium depositionibus, jam contestes de facto, vel de circumstantiis, quæ ad idem conspirabant, quomodo regularem probationem coalescere docent Bobadilla, *d. c. 1. num. 222. Gutierrez, lib. 3. pract. quest. 12. num. 7. Giurba, consil. 79. num. 32. Larrea d. allegat. 48. num. 24.* Neque varietas in quantitate detrahit probationi, quia in minori summa contestant Bobadilla, *d. c. 1. num. 221. in fin.***

Suppono quarto, quod licet testis inimicus credendus non sit, ex latè traditis per Farinac. *quest. 53. ex num. 5.* etiam si agatur de causa privilegiata, vel de crimine difficilis probationis, ut tradit *ibidem num. 7.* Anton. Matth. *dict. lib. 48. ff. tit. 15. cap. 2. num. 9.* Tiber. Decian. *tract. crimin. lib. 6. cap. 4. num. 8.* ex nostræ. Avendaño, *de execq. p. 2. cap. 5. n. 8.* Gutierrez, *in pract. crimin. quest. 76. n. 4.* Sed non sufficit dicere testem inimicum esse, sed probare eum causa gravi procedente ex odio privato, sic limitant Farinac. *d. quest. 53. num. 52.* Decian. *lib. 3.*

cap. 25. num. 28. Anton. Matth. *d. num. 9.* ex nostratibus Anton. Gomez, *lib. 3. variat. cap. 12. num. 14.* Gutierrez *dict. quest. 76. num. 5.* Larrea, *d. allegat. 48. num. 42. & 43.* & Dominus Solorzano, *d. lib. 4. cap. 6. num. 12.* Ita ut arbitrio iudicis remittatur, quanta fides adhibenda testibus sit, quod explicant Farinac. Anton. Marth. & cæteri proximè laudati; præsertim quando constat, quod odium oritur ex eodem crimine de quo agitur, quia per hoc nullus testis excluditur, quia ex causa privata, & non publica oriri debet, ut notat Farinac. *ibidem num. 21.* Ex his concluditur, quod in hac causa nullus ex testibus, quibus inimicitia obiectum appositum fuit, probatur inimicus ex odio privato, sed ex causa criminum obiectorum Præsidis. Prorex namque, quem non viderat, nec tractaverat, quia jusserat fieri quæ de more sunt, Senatores quia eos tyrannicè opprimere intentabat, ut omnia ab ipsius arbitrio penderent: Actuarios, quia eos coegerat fidem præstare, de his quæ coram eis non agebantur: curiales quia amici erant Senatorum, & sic similia: nam cum causa inimicitia allegaretur id quod ab eis deponeretur; hæc deposuisse ex actis deprehenditur. Sicque affectata, & vaga inimicitia videbatur, quoad plures sicut quoad aliquos oppositum procederet, non ut dicamus capitales inimicitias probari, sed leviores, quæ testem omnino non excludunt, quamvis de fide aliquantulum detrahant ad arbitrium iudicantis, ut dixit Anton. Mattheus, *d. num. 9.*

Quæ amplius comprobantur ex eo, quod facilius Judices recusantur, quam testes à testimonio ferendo excluduntur: quia iudicum copia inveniri facile est, testium autem inopia litigantes laborant, ut eleganter probat Larrea, *de eis. Granatens. 48. num. 1.* quod & praxi receptum est: Atqui recusans omnes Judices, vel juris peritos civitatis, vel Provincie audiendus non est, quia recusatio vaga, & vana censetur, ut patè dum aliquis dixerit se suspicionem habere iudicis ordinarii, & cæterorum Advocatorum, quamquam juramento probare intentat, non auditur, quia vaga & vana est, ut probat Avendaño, *de execq. mandat. parte 2. cap. 23. num. 13. vers. Tertium quod proponitur, & hoc jure usimur: ergo idem dicendum de eo, qui omnes*

omnes testes, & interlocutores hujus causæ reprobare intendit: Prorege[m] excludere à fide in relationibus intencat; Judices syndicatores notat de rigidis, atque passionibus affectis; Senatores tanquam inimicos excludere curat; Actuarios, tam hujus causæ, quam camerales impugnat; ac denique omnes testes ut inimicos improbare conatur, tanquam si inimicitia transcendentalis sit, & contagiosa plaga quæ nemini pareat. Si enim causa inimicitie est depositio, hoc quoad alias lites dici potest ex parte ejus contra quem facta fuit depositio, non autem ex parte testis, qui nullam inimicitiam contrahit cum reo, licet reus fiat ejus inimicus, & sic explicat hoc articulum Farinacius, *questione 49. numero 76. & 77. & questione 53. numero 47.* si enim ex sola depositione facta in causa, de qua agitur, inimicitia probaretur, omnes testes in criminalibus exclusi remanerent, quod esset absurdum.

26 Suppono quintò, quod quando res aliter haberi non potest, testes alias inhabiles, probant, ut apparet in civibus alicujus universitatis, qui licet inhabiles reputentur, de rebus factis ipso corpore universitatis admittuntur, & fidem præstant Farinacius, *questione 60. numero 515. Mascardus, de probat. conclusione 295. numero 1. lib. 1. Carpovius, dicta questione 114. numero 45.* de gestis in capitulo Canonici testes idonei sunt, *cap. veniens, §. finali, de testibus, Decius, in cap. insuper, numero 5. eodem titulo, Rebuffus, in tractat. de reprobation. test. numero 60. Augustinus Barbof. in Collect. dict. cap. veniens 28. num. 8. Domestici de rebus gestis in domo, dicta leg. consensu, §. super plagis, Cod. de repud. Farinacius quest. 55. num. 35. Giurba, consil. 72. num. 16. & 19.* Et quod magis est de gestis in lupanari idonei testes sunt Meretrices & Lenones, ut cum Ploto, Saliceto & aliis fatetur Farinac. *quest. 56. numero 359. & Aleatores de gestis in alea vel ludo, ut cum Decio, Conrado, Mascard. & aliis tradit Farinac. dict. questione 56. numero 430.* De quo habemus alia plura exempla in jure, ea nempe ratione, quia veritas aliter haberi non potest, & cum Reipublicæ interit, ne delicta remaneant impunita, necessarium fuit ad-

mittere testes, quos aliter jus excludit, sic docent Menoch. *de arbitrar. cas. 58. & cas. 106. Mascard. de probat. conclusione 13. 60. numero 4. Grammaticus, decisione 11. per totam, Peguer. decisione 5. numero 38. Farinac. questione 63. numero 28. Caball. cas. 193. numero 6. Guazzin. defens. 3. cap. 8. numero 5. vers. licet alii, Anton. Gomez, var. lib. 3. cap. 12. numero 18. Anton. Matthæus, dict. titulo 15. cap. 1. num. 11. Carpov. dicta questione 114. numero 35.* Ex quibus consequenter dicendum est, quod ad probationem oppressionis, vel extortionis Indorum, Indi ipsi idonei testes sunt, etiamsi inconstantes, leves, ac varii dicantur, ut dixi *dict. controvers. 61. numero 2. cum sequentibus.* Quia veritas aliter haberi non potest, præsertim si extortiones factæ sint in eorum municipiis, quia ibi nec actu, nec habitu (cum Hispanis interdicitur habitatio in municipiis Indorum, ut dixi cum Solorzano, *dicta controvers. 61. numero 27.*) alii testes reperiantur. Quod pariter procedit, dum agitur de probanda violentia facta per Præsidentem Tabellionibus, quia cum eos singulos cogeret authenticare scripta, ea sagacitate involuta, ut solum apparerent nomina testium, quos ex famulis scriberat, & propria manu, ut postea apparuit, impossibile erat alios reperiri: quo in casu dicta singularium sufficiunt ex communi Doctorum sententia, *in lege finali, ff. de verborum obligat. Gabriel. titul. de testibus, conclusione 1. numero 27. & 42. Galvan. consil. 20. num. 16. Giurba, consil. 47. numero 27.*

His suppositis, ut jam ad primam partem culpæ irrogatæ Præsidi deveniamus, omissis capitulis continentibus culpas speciales, quæ variis pecuniariis pœnis punita fuerunt, & aliis de quibus absolutus evasit) de diversis fordibus accusabatur, tum ratione officiorum habentium directam Justitiæ administrationem, quæ mediantibus conventionibus data dicebantur, & traditam fuisse pecuniam, donumve auri cum gemmis, vel argenti uxori, filiis, nepoti, & consobrino. Tum quia præcedente conventionis, & tractatu provisionem protectionis Regiæ judicialiter petitam, quam negaverat, traditis mille nummis uncialibus uxori concessit.

concessit. Et per se munera plura à Prætoribus oppidorum de rebus comestibilibus, sed valoris magni, receperat. Supposita prohibitione vendendi officia hujus qualitatis, ut cum Bobadilla & Domino Solorzano dicimus, *infra numero 37. cum sequentibus*, quod in Principe illicitum est, ut dixi, *suprà numero 14* solum defensionem proponere potest, vel quia data uxori fuerant, vel quia fiscalis in probando defecerat. Sed non excusari ex eo quod uxor receperat dona, lege speciali Novi Orbis probatur evidenter: Quia sic expressè cautum reperitur, *in cap. 29. Ordin. Audientiarum Novi Orbis anni 1563.* cujus verba tradit Solorzano, *dict. libro 5. politic. cap. 3. §. y don aadir*: quæ sic se habent: *Que no puedan recibir cosa alguna aunque sea de comer, de universalidad, ni de particular alguno; ni de otra persona que haya traído pleito el año antes, o le spere traer. Y lo mesmo sus mugeres, y hijos so pena de perjurio, y de perdimento de su officio, y quedar inhabil para tener otro, y bover lo que asi llevaré con el doblo.* Et nota seriem prohibendi, primùm ab universitatibus, demùm à privatis, postremò à litigatoribus: cujus quidem ordinationis ignorantiam allegare non poterat, quia per plures annos federat in Audientiis eorum Regnorum, quando ad munus Præsidis assumptus fuit. Plures alias prohibiciones tradunt de eadem re Solorzan. *ibidem*, Præs. Chilen. Pater Villaroël, *in 2. parte gubern. Eccles. & pacific. questione 15. articulo 2. ex numero 2. & Pater Avendaño, in Theaur. judic. parte 1. titulo 3. capite 4. ex numero 22. & titulo 4. capite 2. ex numero 8.* Et licet dicas, in prælibata dispositione tantùm loqui de muneribus à litigatoribus oblatis, contrarium suadent verba: sed quantumvis concedamus, probabatur mille nummos unciales in massa argenti recepisse illius uxorem à litigatore, qui judicialiter petebat provisionem Regiæ protectionis, quam Præsides antea negaverat, & post traditionem, præcedente conventionis, concessit. De quo deponebant

Ecclesiasticus qui nomine alterius provisionem procurabat, & alii idonei testes, qui asserabant negatam primùm fuisse à Præside, quod cum familiari ipsius de ea obtinenda tractarunt, & convenerant in pretio; de traditione illius, & de impetratione provisionis; Familiaris contestando cum ipsis fatetur conventionem, traditionem argenti, quod receperat mandante uxore, concessionem provisionis; de qua præcepto ipsius uxoris facta fuerant vasa argentea, quæ penes ipsam apprehensa fuerunt, per judicem Syndicatorum. Concludens modus probandi per testes conspirantes in unum, juxta Textum, *in lege qui sententiam 16. Cod. de pen. de quo Bobadilla, dicto capite 1. numero 222. Gutierrez, dicta questione 12. numero 7. Giurba, dicto consilio 79. numero 32. Larrea, dicta allegatione 48. numero 24.* qui alios plures adducunt. His addebatur plena probatio receptionis munerum comestibilium magni valoris ab ipso Præside, ut centum ardetes in quolibet anno à quodam iudice ex subditis, quod in dicta ordinat. prohibetur (etiamsi esculentorum nomine comprehendi diceretur, quamvis in effectu non sit) Dominus Solorzan. *ubi proxime, Carpovius, parte 2. questione 93. numero 59. cum sequentibus.* Munus aureum cum gemmis à filio receptum de quo tres testes deposuerunt; plura munera argentea tradita uxori pro concessione officiorum, & alia filio & consobrino nepoti per testes singulares comprobata; cum adminiculis; ex quibus omnibus plenissima probatio resultabat juxta nostras leges; quia, ut dixi *numero 11. cum sequentibus*, & adhuc in terminis juris communis, probatæ fordes remanebant, ut ex dictis resultat.

Neque obstat dicere, quod hæc munera non comprehenduntur sub lege Julia repetundarum, quia in ea solum prohibita sunt munera quæ dantur, & recipiuntur ratione administrationis Justitiæ; ut probat Textus, *in lege 3. digestis eo titulo*, ibi: *Qui cum aliquam potestatem haberet pecuniam ob judicandum decernendumve*

repperit. Nihil enim de iudicio formali receptum dicebatur. Quia facilis est responsio; non enim dicitur solum in eo Textu, ob iudicandum, quod iudicia formalia contentiosa jurisdictionis respicere potest; sed ob decernendum, quod est voluntariae Jurisdictionis ad tradita per Dominum Crespi, observatione 114. numero 2. & sic quamvis concessio provisionis de qua supra, voluntariae jurisdictionis esse fateamur, sub hujus Textus decisione comprehendendum est. Similiter concessio officiorum, quia pertinet ad Justitiam distributivam, & gratis virtuti debetur, à Deo ut Christus Dominus, matri filiorum Zebedei, hac de causa, quando sedes filiis procurabat Marthae capite 20. vers. 23. respondit: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Non ex eo quod potestate careret, quia aequalis est Patri, sed quia dignitates, per sedes significatae, debentur, his quibus pater meritum concedit, ut eleganter interpretatur Pater Velasquez, de optimo Principe adnotat. 13. Et licet in Principe plures sint qui teneant sub obligatione restituendi teneri digniore eligere, alii dubitant; sed nemo in Magistratibus quibus Princeps has electiones committit de quo videndus Marquez, in gubern. Christian. libro primo, capite vigesimo, Paragrapho quarto, per totum. Quod expressè sub lege Julia repetundarum cautum erat; tum generaliter, in lege quarta, ibi: *vel quo magis, aut minus quid ex officio suo faceret.* Electio namque officium, ad officium Praefidis spectare nemo dubitare potest: tum etiam specialiter, in lege 7. ibi: *Ne quis ob iudicem arbitrumque dandum, mutandum, jubendum, ut iudicet, neve ob non dandum, non mutandum, non jubendum ut iudicet, iudicemve capit, pecuniae faciendum, vel non faciendum aliquid acceperit.* Idem probat Textus, in lege sancimus, §. 2. C. eodem titulo, de quo plura per Tiber. Decian. libro 8. capite 35. ex numero 13. Petrum Gregorium, lib. 37. synagmat. cap. 28. ex numero 5. & 19. Giurbam, consilio 72. numero 6.

ad finem, Anton. Matthæum, dicto libro quadagesimo octavo, Digestis, titulo 8. cap. 1. ex numero 3. & Paulum Xamar, de offic. judic. parte 1. questione vigesima prima, numero 7. Quibus addi potest, quod parum refert venalem justitiam non exhibere, si venalia officia exhibeantur eorum, qui eam administrare tenentur. Quia ementes hæc officia necesse habent eam vendere, ut recuperent pretium cum usura plusquam centesima, cuncta à litigatoribus eripiendo, quod forte non eriperet ipse Magistratus, cum ipse sibi tolli; illi vero sibi, & vendenti officia, ut docet Dominus Solorzano, dicto capite quarto. Sed latius Langleus, semestr. libro 6. per totum, signanter in versicul. celebraturque, ubi verba Demosthenis à Petro Victorio ex Græco, in Latinum sermonem versa tradit summè ad rem, de qua agimus pertinentia: quæ sic se habent: *Nulla modo res hoc pacto se se habet, iudices; sed contra longè plures, atque importuniores extant: qui namque cogitant aliquid mali facere scientes his partem pecunie dandam, quas absulerint, necessariò plura in animum inducunt rapere, ut non solum sibi ipsis, verum iis etiam possint suppeditare de quo alia adducit Marquez, dicto capite 20. Paragraph. 3. ad finem.*

Pœna autem hujus criminis extraordinaria de jure erat, plerumque exilio, vel duriori ut docet Consultus, in dicta lege 7. §. fin. sub qua comprehendebatur amotio seu privatio à Senatu, vel officio, Textus, in lege 2. ff. de Senator. ibi: *Cassius Longianus non putat ei permittendum, qui restitutus est, iudicare, vel testimonium dicere, quia lex Julia repetundarum hoc fieri vetat.* Idem probat Textus, in lege cum Prator 12. §. non autem, ff. de Judic. sed elegantiori stylo Imperatores, in lege Iudices 12. Codice de dign. libro 12. ibi: *Judices qui se furtis, & sceleribus fuerint maculasse convicti, ablati codicillorum insignibus, & honore exuti, inter pessimos quoque, & plebeios habeantur, nec sibi posthac de honore*

blaudiantur, quo seipso indignos judicaverint. His ipsis verbis concepta est l. 1. Codic. Theodosian. ad leg. Jul. repetundarum, & eadem sententia continetur in pluribus legibus sequentibus, exornant Julius Clarus, in Paragrapho finali, questione 73. numero 2. & ibi Baiard. Tiber. Decian. dicto libro octavo, capite trigesimo quarto, numero septimo, & decimo quarto, Farinacius, dicta questione centesima undecima ex numero decimo quinto, Langleus, dicto libro sexto, capite primo, per totum, Jacobus Gothofredus, in dicta lege prima, Codic. Theodosian. ad legem Juliam repetundarum, Antonius Matthæus, dicto libro quadagesimo octavo, Digestor. titulo octavo, capite primo, numero 6. De jure Hispano, & Numero 6. vi Orbis plura collegi, hæc secunda parte controversiar. 6. sive numero 10. cum sequentibus: quibus addenda, dict. ordinat. 29. quæ casum nostrum expressè determinat, pœnam ipsam imponens, quæ à jure statuta fuit, per dicta jura. Neque in quantum eandem pœnam irrogat pro crimine uxoris, & filiorum infirmari valet, juxta Textum, in lege 2. ubi Doctores, cap. ne uxor pro marit. & ex Regula, quod statutum imponens pœnam uni pro delicto alterius servandum non sit, secundum tradita per Farinacium, questione vigesima quarta, numero centesimo quinquagesimo, cum sequentibus: quia hoc procedit respectu pœnæ corporalis, non pecuniariae, ut pluribus probat idem Farinacius, ibidem numero centesimo octogesimo nono, & quanquam numero centesimo nonagesimo secundo, dubitet respectu pœnæ infamiae, juxta communem opinionem, de qua cum Alexandro, Felino, Decio, & Socino, testatur Dominus Covarruvias, variarum resolutionum libro secundo, capite octavo, numero septimo. Observari hæc statuta debent, præsertim in crimine, de quo agimus, juxta Textum, in lege prima, Codic. hoc titulo, ibi: *ejus non dicam domesticus, sed manipularius, & minister acceperit.* Nam specialiter in eo pœna quadrupli imposita repetitur, quæ est furti manifesti, quam consequitur infamia, Textus, in lege pri-

ma, Digestis de iis qui notantur infamia, notat Jacobus Gothofredus, in lege tertio, Codic. Theodosian. hoc tituli. infamiam vero muneris ablatio, ut mox dicitur numero septuagesimo octavo, & in quacumque pœna, sive criminali, sive civili, ut docet Ulpianus, in lege observare, quarta, Paragraph. Praefisci, Digestis de Offic. Proconsul. ibi: *futurum ut si quid uxores eorum, qui ad officia praefiscuntur, deliquerint ab ipsis ratio, & vindicta exigatur.* Quam dispositionem ad milites habentes uxores in castris ex hac lege extendit Caball. casu ducentesimo nonagesimo quarto, numero sexto, ubi notanda sunt verba illa: *ab ipsis ratio, & vindicta exigatur.* Quæ complectuntur interest partis, & pœnam criminalem.

Secunda pars culpæ irrogatæ Praefidi graviter eum urgebat, quia dicebatur coegisse Actuarius publicos fidem præstare de iis, quæ ante eos gesta non erant. Probabatur trium testium singularium depositionibus, quorum duo deponebant, pluries coegisse eos subscribere, & subsignare in publica forma scripta, quantum substantiam videre non poterant, quia eis à Praefide offerebantur chartula sic involuta, ut solum paterent nomina testium, quos ponebat de famulis. Alius testis dixit se pluries vocatum à Praefide, ut legalizaret instrumenta à prælibatis Actuariis subsignata, quæ ei offerebantur sic involuta, ut nihil præter subscriptionem eorum videre posset. Aderant protestationes factæ per illos duos Tabelliones, prima die decimo quarto Aprilis an. millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio; alia die duodecimo Junii ann. millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, quibus protestabantur se coactè has scripturas jussu Praefidis subsignare, ne præjudicium inferant sibi, si aliquid indebitum in eis continetur. Commissio ad inquirendum contra Praefidem expedita fuit in Senatu die trigesimo primo Decembris ejusdem anni 1666. & executioni deducta die septimo Januarii anni 1668. in actis reperiebantur aliqua testimonia ab eis Actuariis subsignata, sed scripta manu Praefidis, & asserabant non

recordari se ea dedisse, & credere esse ex eis, quæ à Præsede cogebantur. In aliquibus ex his fides præbeatur de factis non recedentibus sub sensu, neque resultantibus ex actis publicis, ex quo suspecta remanebant falsi; quia verisimilitudinem ex se continebant, quæ pro falsitate habetur Textus, in lege qui habebat, ff. de legat. 3. cum aliis adductis per Giurbam, consil. 71. numero 16. cum sequentibus. Addebatur depositio alterius Actuarii dicentis, se electum fuisse à Præsede ad scribendam causam syndicatûs sui antecessoris, & in examine testium inquisitionis exclusum fuisse à Præsede, adhibito amanuense, qui in examine intererat, dictaque testium scribebat, Actuariusque subscribere cogebatur, ut actorum publicorum speciem referrent. Unus testis contestabatur se vidisse Actuarium exclusum, dum testes deponabant, conquerentem de exclusione, & quinque ex testibus examinatis, qui dicunt in suo examine non interfuisse Actuarium.

51 Ex his plenè probatum videbatur Præsidem cogisse Actuarios fidem præstare, sive subsignare, ea quæ non viderant, neque coram eis gesta erant, quia in hoc conspirant quatuor Tabellionum, & quatuor testium dicta; singularia quidem, sed singularitate adimulativa, seu cumulativa; quæ singularitas non excludit plenam probationem, immò eam constituit, quia conjunguntur ad unum probandum, ut docet Baldus, in lege de quibus, numero 37. ff. de legibus, aliis relatis Farinacius, questione 66. numero 26. cum quibus consonant dicta, supra numero 18. Quæ valde adminiculabantur ex protestationibus amborum Tabellionum factis, antequam de syndicando iudice tractaretur, ut exclusum maneat objectum machinationis à Præsede deductum. Nam protestationes, etiam si clandestinæ sint, neque parti injunctæ, metum probant, Textus, in lege de pupillo, §. si quis ipsi Prætori, ff. de nov. oper. nunciat. ibi: si quis ipsi prætori velit opus novum nunciare, debet ut interim testetur, non posse se

nunciare, & si nunciavit postea, & quod retro adificatum erit destruendum erit, quasi repetito die nuntiatione facta, Textus in capite finali, de appellatione, docent Menochius, consilio 308 numero 12. Gratian. disputation. capite 524. numero 34. Anton. Faber, in Codice libro 2. titulo 8. definitione 7. Jacobus Cancr. variar. 3. parte, capite 15. numero 144. Augustinus Barbosa, var. 88. numero 28. lib. 2. Dominus Olea, in celeberrimo tractat. de cess. jur. titulo 8. questione 1. numero 14. Noster Itanzo, tractatu de protestat. consideratione 47. ex numero 3. Nec obest si dicas, hanc protestationem contrariam esse factam, & sic non relevare; quia etiam si demus factam contrariam esse (quod difficultate non caret) quoties factum liberum non est, sed coactum, protestatio prævalet contra factum argumento Textus, in capite 1. quod met. causa. Joann. Monach. Consil. 2. ex capite in generali de regulis juris, in sexto, numero 36. cum sequentibus, Rota apud Farinacium, decisione 31. numero 2. & decisione centesima nonagesima, numero secundo, tom. 1. Divers. Itanzo, consideratione 32. numero vigesimo sexto. Metum intervenisse ambigi non poterat, quia Magistratus Superiores, qualis est Præsides respectu Tabellionis, metum inferunt solo aspectu, quia terribilis esse solet, ut cum Baldo, Alexand. & aliis probat Solorçan. dict. tom. 2. lib. secundo, cap. 5. numero sexagesimo septimo. Quæ in Præsede procedebant, cum ex actis resultarent plura comprobantia favam, & rigidam conditionem illius.

Nec minus erat adminiculum, seu verius indicium, resultans ex eo quod testimonia negata per Tabelliones, manu ipsius Præsidis scripta apparent: si enim quodammodo incomparabile est officium Tabellionis, cum officio iudicis, ut dixi controvers. 64. numero 55. quanto magis ministerium amanuensis cum ministerio Præsidis: si enim sibi scribens in testamento ea quæ verè à testatore dicta fuerunt, incidit in pœnam falsi, Text. in lege divus Claudius 13. in princ. ff. ad d. legem Cornel. de Fals. cum aliis plurimis addu

adductis per Farinac. dict. questione 150. numero 175. Anton. Matthæus, dicto libro 48. ff. titulo 7. cap. 1. numero 4. quanto magis tenebitur, qui sibi scribit sua manu, ea quæ an vera, vel falsa sint non liquet? quando dispositio legis Cornelie ad testamenta inducta, ad omnes scripturas, sive tabulas extensa fuit, ut docet Paulus, in lege instrumentorum 16. §. 1. ff. eodem titulo. Et sibi Præsidem scripsisse constat, dum eis instrumentis usus fuit ad defensionem, in eadem causa syndicatûs. Licet enim scribens minutam instrumenti falsam, ut ex ea instrumentum fiat non teneri pœna falsi aliqui teneant, saltem ad pœnam ordinariam, ut refert Farinacius dicta questione 150. numero 342. si mandat in actis publicis redigi minutam, seu eam authenticare, falsum committit Textus, in lege 2. in fine, ff. ad leg. Cornel. de fals. Farinacius dicta questione 150. numero 4. ad finem. Neque dolum deficere dici poterat, quando curabat occultare ipsi Tabellionibus fidem præstantibus, ea quæ scripta erant, quia malè agens odit lucem, Textus in lege 1. §. tria lumina, ff. de ventr. inspiciend. cum aliis adductis per Barbosam, axiomat. 141. numero 1. Veritatis immutatio in substantia intrinseca improbabilis remansit, factum ipsius Præsidis, sed in solemnitate extrinseca apparebat, dum scripta per ipsum authenticata reperiebantur per Tabellionem, qui non gesserat actum, neque conscius erat de contentis in eo.

60 Neque relevat si dicas, nemini nocuisse hæc testimonia, quia negari non potest esse apta nocere fisco, & aliis, quorum iura lædebantur si evanisset effectus syndicationis, quod sufficit iuxta receptiorem sententiam per Textum, in lege codicillos, Codice ad leg. Cornel. de fals. cum plurimis per me congestis tom. 2. de regim. Valent. cap. 8. §. 8. numero 31. adde Carpzovium, part. 2. questione 91. numero 12. & 13. Et si fortius inquiras in quo nocuit? Dicam, quid facere voluisset non liquet, sed liquet, ex modo & forma D. D. Laur. Matthæus, de Re Crim. P. II.

operandi voluisse peccare, & dum Præsides erat malo exemplo, plus voluisse peccare nocuit, quam non peccare profuit, ut in simili dixit Valer. Maxim. lib. 6. cap. 1. de Metell. Celer. Et dum hæc testimonia supponuntur abstracta ab actis publicis causarum illius Audientie, licet Præsides, vel fideliter desumpserit, cum ad ejus officium hæc non pertinere sciret aut scire debuisset, sed ad Tabelliones, falsi pœna tenebatur dum falsam omnino attestacionem fieri jussisset: quia Tabellio fidem præstare non potest de re non visa, neque ab eo modo debito examinata, ex doctrina glossæ, in lege ex cautione, ff. de pactis, quam sequuntur Alexander & alii Doctores, in lege singularia, ff. si cert. petat. Diaz, regul. 492. Julius Clarus, in §. falsum, numero 19. cum sequentibus, etiam si contenta vera sint, Cassaneus, in consuetudine Burg. fol. mibi 1525. numero 16. Baiard. ad Clarum, in dicto §. falsum, numero 77. Pœna namque falsi tenetur, non solum scribens, sed mandans, dictans vel faciens fieri; Farinacius, dicta questione 150. num. 61. cum sequentibus. Sicut qui procurat sibi subsignari chartas vacuas, vel subscribi, ut postea in eos ponat, quod voluerit, falsum committit; ut docet Farinacius, dicta questione 150. numero 92. sic similiter, & majori cum ratione, qui jam scripta ad nutum, auctoritate muneris abutendo, mandat subscribi, & subsignari, quæ an vera, vel falsa sint non constat, attestando vera esse.

Neque obstat dicere de corpore delicti non constare ad Textum, in lege si quis in gravi, §. si quis moriens, ff. ad Syllanian. cum vulgat. Quia in actis plura testimonia reperuntur scripta manu Præsidis, quæ ab actuariis negantur, & hæc sunt corpus delicti de quo agitur, quia cum sit difficilis probationis, sufficiunt conjecturæ, & præsumptiones; pluribus Farinacius, questione 2. numero 21. Guazzin. defens. 4. cap. 9. numero 1. & vitium visibile, quale est manus Præsidis, sufficit, ut probat idem Guazzin. ibidem numero fin. Neque ex eo quod per verbum credo videtur, esset, vel aliud dubitativum deponant Tabelliones, probatio infirmatur; quia si contenta in his instrumentis videre, non permisit Præsides, ut ex serie

Z z 2 facti

facti resultat, quomodo assertivè dicere poterat, ex illis esse? suspecti namque de falso redderentur, si assertivè, deponerent de his, quæ per discursum, & iudicium intellectus tantummodo percipi possunt, & dubitativè deponendo in his, & similibus probant, ut pluribus docet Farinac. *quæst.* 68. *num.* 80. & 82.

His addi poterat quod Præses in inquisitione secreta syndicatûs Prædecessoris, absque publica persona examinaverat testes, quod perperam fecisse pluribus adductis ostendunt Farinacius *quæstione* 80. *num.* 99. *cum sequentibus*, Guazzin. *defensione* 20. *cap.* 14. *per totum*. Dum tenent dicta testium per publicum Tabellionem in scriptis redigenda esse, & Guazzin. dum si aliter fiat, nulliter fieri ostendit, & concludit quod hæc qualitas est difficilis probationis, & probatur per conjecturas, & præsumptiones. Sed, ut dixi, plenè probabatur, quia præter depositiones actuali, & amanuensis, quinque testes de facto proprio contestant, & adest protestatio ipsius Tabellionis, *die* 3. *Januarii* 1663. omnes concludendo quod Tabellio non interfuit in examine testium summaria, & qui deponunt interfuisse, loquuntur de testibus examinatis pro defensione. Crimen hoc speciem falsitatis continet in quantum Tabellio fidem facit de depositionibus quæ coram eo factæ non fuerant; ex quo nullitas examinis apertè resultabat, quia in terminis scripturæ privaræ inquisitio remanebat. Quod suppleri non poterat auctoritate Præsidis, quia non spectat ad suum officium authenticare scripturas. Et licet non ignorem ab antiquissimo tempore observatum fuisse in Senatibus, quod unus ex Senatoribus scriberet, quæ peragebantur, ut accuratè tradit Langleus, *semestr.* *lib.* 7. *cap.* 14. Hoc tantum admissum fuit quando in Senatu aliquod negotium gravissimum tractabatur, cuius secretum summè de republica erat, ne prodere tur usque ad illius perfectionem: & tunc uni, vel duobus ex Senatoribus committebatur ministerium scribendi, suffragia regulandi, & tacita Senatus-consulta in scriptis redigendi, ut Langleus diffusè scribit. Quod nostris temporibus observatum bis vidi, mediante speciali Principis decreto,

hæc fieri jubentis; ex quibus unum mihi directum fuit in causa gravissima. Sed Præses hæc dispositione vel obervantia juvari non poterat, quia neque causa erat similis qualitatis; neque aderat Principis decretum, neque ipse observavit hunc modum procedendi, committendo ministerium scripturæ alicui personæ in publica dignitate constitutæ. Immo agnoscendo necessitatem procedendi mediante publico tabellione, illum elegit, & postea ab examine testium summaria exclusit, nepotem confobrimum includendo, qui auctoritate publica non fungebatur. Ob quod nullius momenti iudicium syndicatûs dici poterat, cum deficeret fides publica, per quam depositiones testium ascribent syndicatûs, ita docet Valenc. *consil.* 122. *numero* 13. Neque his obstat dicere, quod de hac nullitate agi non poterat, quia causa illa decisa per Senaturn reperiebatur, juxta Text. *in lege* 1. *§. ait sextus ad Syllanum. leg.* 1. *ff. de offic. Præf. Prætor.* cum aliis adductis per Valascum *consultatio* 148. *numero* 34. Gammam *decis.* 228. Cabed. *decis.* 212. *num.* 5. Gratian. *disceptation. forens.* *cap.* 127. *numero* 40. Menoch. *de præsum.* *lib.* 1. *quæstione* 1. *numero* 27. Frag. *decis.* 238. *num.* 3. Guierrez, *lib.* 3. *practicar. quæstione* 19. *numero* 74. Quia hæc procedunt si ageretur de syndicatûs quorum crimina extincta remanent per sententiam Senatus, de quo latè per Anton. Matthæum, *dicto libro* 48. *tit.* 19. *cap.* 2. *ex numero* 1. & in terminis Solorçano, *dicto tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. *numero* 64. *cum sequentibus*. Non autem quando agitur de eo, quod in causa syndicatûs actum non fuit, ut multis probat *numero* 69. signanter si deducatur in iudicium excessus syndicatoris, quia de eis actum non fuit in sententia Senatus, neque aliquid discussum, quare neque decisum dici potest, Text. *in lege finali*, *Cod. de lib. caus.* cum similibus. Neque ex eo quod in causis criminalibus Judex teneatur per se examinare testes, sequitur quod fieri possit absque competenti tabellione, qui in actis redigat eorundem testium dicta quando nec sententia valet, nisi apud dicta per publicum Tabellionem scribatur, ut docet Dominus Valenc. *la ubi proxime*.

Pœna

77 Pœna falsi arbitraria est de jure, ut dixi *p. 1. contr.* 37. *n. 10. & contr.* 38. *ex n. 4.* qua Præses teneri videbatur; verum si falsum committatur à Magistratu, vel officiali, includit pœnam privationis officii, ut colligitur ex Text. alioquin difficillimo *in l. falsi* 23. *ff. ad leg. Cornel. de falsi* ibi: *Ordine decurionum decem annis adnotatum motum, qui falsum instrumentum, cognoscens Prætor, recitavit, post finem temporis dignitatem respondit recuperare, quoniam in Corneliâ falso recitato, non factum, non incidit;* Cujus sententia est, omittis emendationibus, ut notat Ant. Matth. *d. lib.* 48. *ff. tit.* 7. *c. 1. n. 3.* quod ordo non amittitur ex lege Cornelia ab eo qui falsum recitavit, & non fecit; at qui fecit ordinem amittit. Et ratio est, quia per crimen falsi quis infamis efficitur Text. *in l. 1. cum l. 7. ff. de publ. iudiciis.* Amaya *in l. unic. C. de infamib.* *lib.* 10. *n. 56.* infames verò ab honoribus arcendi Text. *in l. 1. ff. ad l. Jul. de vi privar. l. relegator.* 7. *§. fin. cum l. seq. ff. de interd. & relegat.* Giurb. *conf.* 65. *n. 58. cum seqq.* Mastril. *de Magistr.* *lib.* 3. *c. 4. n. 47.* Azevedo *in l. 3. tit. 3. lib. 8. recopil. ex n. 32.* Amaya *ubi proxime*, *n. 1.* pulchre Jacob. Gothof. *in d. l. c. Theod. ad leg. Jul. reper.* Sed miror virum istum doctissimum, fatigari in interpretandis verbis Lampridii in vita Alexand. Severi dum, dicit *condemnatione adhibita quasi falsi.* Quorum explicatio facillima est, animadverto quod in jure *crimen falsi* solum intelligitur de falsitate commissa in testamento, quia, ut dixi, lex Cornelia lata fuit ad compescendas falsitates factas in testamento, quare & testamentaria dicta fuit: sed cum postea extenderetur ad cæteras tabulas, falsitates extra testamenta commissæ quasi falsum vocabantur, licet eadem pœna coercerentur, Text. *in l. 1. §. fin. ff. ad leg.*

81 *Cornel. de falsi* ubi omnes Doctores notant, adeo ut hæc differentia loquendi, nec lateret Farin. *d. g.* 150. *n. 45.* Quamvis ipse plus laboraverit in observationibus practiccis tradendis, quam in apicibus juris explicandis, tradit accuratè Ant. Matth. *d. tit.* 7. *c. 1. n. 1.*

82 Tertia & quarta culpa ex irrogatis Præsidii versabantur circa extorsiones factas Indis illius districtus, in quo parum immorabor: quia servitium personale eorum, favore privatorum, septuagesies septies prohibitum est per nostros Reges, sub gravissimis pœnis D. D. Laur. Mathon, *de Re Crim.* Pars II.

ob ingentia mala, quæ ex hoc procedunt; ut piè atque doctè perpenderit Religiosissimus P. Josephus de Acoſta *in aureo tractatu de procuranda Indorum salute spirituali*, *lib.* 3. *cap.* 17. *per tot.* In his prohibitionibus explicandis Dom. Solorçano totus versatur *tom.* 2. *de jur. Indiarum*, *lib.* 1. & *lib.* 2. *polit. Indiar.* sed *83* *dict.* *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. prohibitionem specialem factam Magistratibus, Proregibus, Præsidibus, Senatoribus sub his verbis exhibet: *Queno os servais de los Indios de agua, ni yerba, ni leña, ni otros aprovechamientos, ni servicios directos, ni indirectamente, so pena de la nuestra merced, y de perdimento de vuestros officios.* Eadem verba refert *in polit. dict.* *lib.* 2. *cap.* 1. Quæ quidem prohibitio facta fuit regio rescripto *diei* 21. *Septembris*, *anni* 1551. & reperitur inserta *in Ordination. Mexic.* *pag.* 144. alia lata *die* 29. *Aprilis* 1549. sub eisdem verbis, & *in eisdem Ordin.* *fol.* 345. & sic passim, & *84* specialis ad provinciam in qua præsidebat, regio rescripto *die* 7. *Junii* 1621. Cujus promulgatio reiterata fuit instante Fiscali *anno* 1657. Tractant de hac prohibitione plures laudari per Solorçan. *dict.* *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 7. quibus addendi Anton. de Leon. *in confirmat. Reg.* *p. 1. c. 2. num.* 28. *cap.* 18. *num.* 27. & *alibi passim.* Aliis relatis P. Avendaño *in thesaur.* *tom.* 1. *titul.* 1. *cap.* 13. *ex numero* 119.

His positis, omittendo probationes specialium gravaminum, summa iniquitate Indis illorum, ex ipsius confessione, facti evidentia apparebat, quod Præses ex suis famulis duos elegit officiales, sub titulo *de reparidores*, qui Indos distribuabant, ut privatis coactè servirent personaliter, ad quod ipse Præses mandata expedire solebat. Isti etiam cogebant Indos Præsidii adserere pabula ad bestias, pisces, & alia hujusmodi vilissimo pretio, & continuo Indum, & Indam per hebdomadas ad domum Præsidis ire cogebant, qui tanquam servi servitium in omnibus præstabant, nulla, vel minima mercede soluta. Quæ negare non poterat, sed excusari intentat prohibitionem ignorasse dicendo; quæ quia juris erat, minimè eum excusare potest Text. *in leg. 1. l. regula. ff. de jur. & fact. ignor.* Sed adhuc in facto similis ignorantia non est possibilis, quia prohibitiones, ut dixi, relectæ sunt inter Ordinationes Regiarum Audiens. *Z z 3* dien

dientiarum, in quibus officio Senatoris fungendo per plures annos federat, & hæc ignorare non poterat, sicut neque specialem prohibitionem Provinciae in qua praesidebat per quinquennium, & omnibus notum esse apparebat, Text. in d.l. regula, §. sed facta, de quo videndi Solorcan. diel. tom. 2. lib. 2. cap. 7. n. 45. Xamar. de offic. jud. part. 1. g. 17. num. 29. Giurba consil. 38. num. 24. & Dominus Crespi observat. 10. num. 66. cum sequentibus.

87 Ex his omnibus condemnatus Praefectus fuit ad pecuniam privationis officii, & cujuslibet alterius administrationis iurisdictionis, exilium à Novo Orbe, & viginti mille nummorum uncialium argenti, & acta tradi Fiscali iustum, ad petendum quod sibi convenire senserit, respectu extortionum Indis factarum, sententia diei 31. Maii 1670.

88 Supplicationem interposuit cujus causa dum hæc scribebantur pendebat. Sed quia promotus fuit ad supremum Aragonum Senatum, intervenire non potui in decisione illius, non pudet fundamenta suffragii per me praestiti in publicum edere, & tandem sententia confirmata fuit.



CONTROVERSIA LXXVII.

De Praefecto stipendia militum praesidianorum intervenerente, & ad proprios usus applicante.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species enarratur.
- 2 Epistola probans contra scribentem proprium delictum.
- 3 Absente reo inutiliter ad poenam corporalem imponendam proceditur.
- 4 Absens per contumacialem processum audiendus post condemnationem intra annum quoad omnes poenas, post annum quoad corporales, ibid.
- 5 Peculatus crimen committitur ab eo qui in suos usus convertit pecuniam publicam.
- 6 Peculatus poena qua sit.
- 7 In iudices & Magistratus extenditur usque ad capitalem.
- 8 Qua de morte naturali intelligenda est.
- 9 Text. in leg. 1. Codic. Theodos. ad

legem Jul. peculatus expenditur.

9. Peculatus crimen gravius in iudice, Magistratuve.
- 10 Magistratus cujus periculo tradita est pecunia, tenetur Iulia lege de rebus dnis.
- 11 Indices suo periculo fsciales pecunias non suscipiunt.
- 12 Indices qui suo periculo, non suscipiunt pecunias fscis, peculatus, non de rebus dnis tenentur.
- 13 Officiales Regii (sic nuncupantur) in novo Orbe, pecunias fscis suo periculo suscipiunt, & administrant non iudices, neque Praefecti.
- 14 Magistratus, qui suo periculo administrat pecunias fscis, si durante officio in usus proprios convertit, peculatus tenetur.
- 15 Repetundarum crimen committit, etiam Praefectus in suos usus convertens stipendia militum.
- 16 Repetundarum crimen est in iudice quilibet quæstus, à subditis extortus.
- 17 Provinciales iacturam patiuntur, si stipendia militibus auferantur.
- 18 Praefectus non solum dare disciplinam militibus tenetur, sed observantiam illius docere.
- 19 Text. in l. officium 12. ff. de re milit. expenditur.
- 20 Milites sine stipendiis subsistere non valent.
- 21 Milites jejuni disciplinam non observant.
- 22 Mala plurima oriuntur in militia ex defectu necessariorum.
- 23 Malus eventus imputatur duci, sive Praefecto.
- 24 Venus comburendus Miles, qui hostibus depredandi provinciam facultatem prebet.
- 25 Quod patrat ab eo qui custodiam Arcis, vel limitis dereliquit.
- 26 Sive ex perfidia, vel avaritia, vel regnandi cupiditate procedere potest.
- 27 Perduellionis reus sit arcis custodiam derelinquens.
- 28 Et lesa Majestatis crimen incurrit.
- 29 Crimina militaria aggravantur ex qualitate persona.
- 30 Princeps an sine causa cognitione possit revocare officium ad nutum voluntatis.

31. luntatis.
- 31 Negativa opinio procedit, si officium concedatur ab inferiore, affirmativa si à Principe superiorem non recognoscente.
32. Text. in lege solet 6. §. 1. Digest. de officio Proconsul. expenditur.
- 33 In criminibus militaribus hæc absque dubio procedunt.
- 34 Periculum imminens ante omnia est arcendum.
- 35 Intior pars est eligenda, dum salus publica periclitatur.
- 36 Deciso Senatus.



D Senatam Novæ Orbis delata fuerunt querelæ militum Praesidianorum cujusdam insulae Oceani Indici Meridionalis, contra Praefectum ipsius, cui militaris, atque politica potestas concessa erat: ex eo quod confobrino miserat ad Metropolim, ut subsidium militare exigeret (situado apud nos dicitur) ex quo stipendia militum solvenda erant ab arcatis. Is enim iussu Praefecti cum pecunia ad hæc Regna convolverat, ut in usus Praefecti converteret, militibus fame, nuditate, atque rerum omnium inopia laborantibus. Adminiculabatur eorum instantia ex actis alterius causæ; & cum confobrino per hanc Curiam incederet, Aulas, Senatus frequentando, mihi commissum fuit examen documentorum, quæ verosimiliter apud ipsum extabant. Habitu ipius perquisito diligenter, apprehensæ fuerunt plures epistolæ Praefecti, quibus confobrino mandabat subsidii pecuniam ad Hispaniam deferre, & in rebus ad eum spectantibus impendere. Recognitis à confobrino his epistolis, aliisque scriptis ad rem conferentibus dubitabatur in Senatu quid statuendum esset in Praefectum.

De probatione facti nemo ex Dominis dubitabat, quia nequitia expressè continebatur in epistolis manu Praefecti scriptis, & subsignatis: manus namque notissima erat, cum quibus congruebat recognitio ejus ad quem scriptæ reperiebantur. Licet enim scripturæ privatæ essent, hæc plene probant contra scribentem, ut late ostensum remanet supra controversia vigesima octava, ex numero vi-

gesimo sexto. Et quamvis deficeret recognitio scribentis, aderat recipientis cum notissima comprobatione manus aliisque adminiculis. Quæ sufficere videbantur, dum de imponenda poena corporali non ageretur; quia reo absente, & inaudito, ad impositionem similis poenæ deveniri non potest, nisi contumacialis processus legitime formetur; & adhuc eo formato, si intra annum compareat, vel capiatur, plene audiendus est, quoad omnes poenas; & post annum, quoad corporales, per Textum in lege tertia, titulo decimo, libro quarto, recopilation. ubi Doctores Hispani, signanter Azavedo, numero centesimo vigesimo quarto, cum sequentibus, & hoc jure utimur.

Ex facto deducto quinque criminum enormia patrasse Praefectum deprehendebatur. Peculatus, de residuis, repetundarum, militare, & Majestatis. Peculatus crimen in quantum pecunias publicas sive fisci, in suos usus convertere iusserat, per Textum in lege prima, & lege tertia, Digest. ad legem Juliam peculat. ibi: lege Julia peculatus cavetur, Ne quis ex pecunia sacra, religiosa, publicave auferat, neve interceptat, neve in rem suam vertat, docent Julius Clarus, §. fin. questione sexagesima octava, numero trigesimo, & ibi Baiardus numero septuagesimo sexto, Tibertius Decianus libro octavo, tractatu criminali capite vigesimo nono, cum sequentibus, Farinacius questione centesima septuagesima prima, ex numero secundo, Caballus causa nonagesimo nono, ex numero quarto, Petrus Gregorius libro trigesimo tertio, syntagmat. jur. capite decimo nono, & vigesimo, Antonius Matthæus de criminibus libro quadragesimo octavo, Digest. titulo decimo, capite primo, ex numero secundo, Marthias Berlichius ramo quinto, practicabil. conclusion. quinquagesima septima, ex numero primo, & Benedictus Carpov. §. in practica. criminali. parte secunda, questione octogesima quinta, numero quarto, Poena hujus criminis in privato, fuit aquæ, & ignis interdictio, sive deportatio, cum amissione status, & bonorum, ut habetur in dicta lege tertia, & omnes Doctores superius relati testantur; & cum hodie neque aquæ, & ignis interdictio, neque deportatio, in usu iudiciorum sit, successit poena arbitraria juxta personæ, & facti qualitates. Sed in